



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

Luxemburgi, MDCCXLII.

LVII. Confirmat Decretum Sac. Congregationis negotiis Episcoporum, &
Regularium præpositæ, nimirum non licere Parochis occasione
associationis cadaverum ingredi Regularium Ecclesias, sed teneri ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

Conforibus certa pietatis, & charitatis opera peragentibus, misericorditer in Domino perpetuo concesserit, prout in Litteris Apostolicis dicti Pauli Prædecessoris desuper expeditis plenius dicitur contineri.

Confirmat
ut in rubr.

§. 1. Nos, ut Confraternitas hujusmodi majora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, supplicationibus quoque dilecti filii Matthæi Orlandi Ordinis ejusdem B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo Prioris Generalis Nobis humiliter super hoc porrectis inclinati, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac penitentiarum relaxationes per dictum Paulum Prædecessorem dictæ Confraternitati, ejusque Confratribus, & Conforibus, ut præfertur, concessas animabus Christianifidelium, quæ Deo charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii, servata in reliquis ejusdem Pauli Prædecessoris Litterarum desuper emanatarum forma, & dispositione, applicari posse, auctoritate Apostolica, tenore præsentium misericorditer in Domino, etiam perpetuo concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 2. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus si forent exhibitæ, vel ostense.

Dat. P. A. 2.
die 2. Jan.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die secunda Januarii 1672. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

LVII.

Confirmat Decretum Sac. Congregationis negotii Episcoporum, & Regularium præpositæ, nimirum non licere Parochis occasione associationis cadaverum ingredi Regularium Ecclesias, sed teneri dimittere cadavera ad januam Ecclesiarum. Cætera verò munia in hujusmodi ministeriis per Regulares esse expedienda.

Consimilem Constitutionem habes supra in Alexand. VII. Alias pro 93. pag. 131.

Edita An. D.
1672.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causæ Con-
stitutionis.

Nuper pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, exposito quod eadem Congregatio die 16. Decembris 1661. super controversiis, quæ inter Parochos Civitatis Placentinæ, & Monachos Monasterii S. Sixti Congregationis Casinen. Ordinis Sancti Benedicti occasione funerum erant exortæ inter alia decreverat servanda esse Decreta, & declarationes alias factas; scilicet Parochis in associatione, seu occasione associationis cadaverum non licere ingredi Ecclesiam Monachorum prædictorum, sed teneri dimittere eadem cadavera ad januam Ecclesiarum ibique solum posse benedicere, & dare ultimum vale, officia vero & munia quæ in hujusmodi ministeriis adhiberi solent ab ipsis Monachis peragi debere, non autem à Parochis, atque ita in præmissis omnibus deinceps fieri, & executioni mandari præceperat.

§. 1. Et in eadem expositione subjuncto, quod eadem rationes militarent ad favorem dicti Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, ideoque supplicato ut Congregatio præfata resolu-

tionem sive decisionem hujusmodi extendere ad associationem per Parochos fieri solitam cadaverum defunctorum, quæ in Ecclesiis fratrum hujus Ordinis sepeliuntur, idque ad tollendas controversias, quæ in aliquibus Parochiis ea occasione inter Parochos, & Fratres Ordinis hujusmodi nascuntur non sine scandalo, ac fraternæ, & Christianæ charitatis detrimento: Enavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita censuit Oratoribus dandam esse infrascriptam declarationem alias editam nempe Parochis in associatione sive occasione associationis Cadaverum non licere ingredi Ecclesias Regularium, sed teneri dimittere eadem cadavera ad januam Ecclesiarum, ibique solum posse benedicere, & dare ultimum vale; Officia verò, & alia munia, quæ in hujusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis Regularibus peragi debere, non autem à Parochis, atque ita in præmissis omnino deinceps fieri, & exequi præsentium vigore mandat, & præcipit, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ 27. Novembris 1671. F. M. Cardinalis Brancatius. Loco sigilli.

§. 2. Cum autem sicut præfatus Procurator Generalis Nobis subindè exponi fecit ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius substantia, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desideret, Nos specialem ipsi Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfata Congregationis Cardinalium.

Approbatio,
de qua in rubr.

§. 3. Decernentes eadem præsentibus Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum
irritans.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, caterisque contrariis quibuscumque.

Contrario-
rum deregatio.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 18. Januarii 1672. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Dat. P. A. 2.
die 18. Jan.

Approbat Decreta Sac. Congreg. consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ scilicet Parochos cujuscumque Dioc. majorum petere non posse elemosynam ab hæredibus eorum, qui sepeliri volunt in Ecclesiis Regularium, quam si in eorum Ecclesia Parochiali sepeliri peterent, & functiones funeralium super cadavera defunctorum, in Ecclesiis Regularium sepelienda ad ipsos Regulares non ad Parochos spectare.

LVIII.

Ne jam dicta otiosè repetam, vide quæ annotantur ad materiam in Urban. VIII. Const. 22. Alias sel. pag. 59.